

Joseph P. Gleason BT
100
999764

DE DEOTRINO.



AE P7235

DE DEO TRINO.

AD USUM PRIVATUM

Alumnorum Seminarii S. Mariæ

BALTIMORENSIS.

BALTIMORE:
ST. MARY'S INDUSTRIAL SCHOOL STEAM PRESS,
CARROLL STATION.

1892.

Declassified



DE DEO TRINO.

BREVE COMPENDIUM *

OBJECTUM, UTILITAS ET DIVISIO TRACTATUS.

1. Objectum hujus Tractatus est disserere de trinitate personarum in Deo. Siquidem in Philosophia disputatum est de Deo uno, de ejus existentia, ejus natura et operibus ad extra; nunc autem ulterius progredientes, et lumine fidei adjuti, ipsa Dei opera ad intra, ipsius vitam interiore exponere intendimus, ipsa profunda Dei, quae nullus hominum vidit sed Filius nobis enarravit: quod faciemus tamen cum modestia et reverentia: nam "qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria." (Prov. xxv, 27.)

2. Utilitas desumitur (**A**) *Ex dignitate objecti*: Nobilis enim objectum cognitionis nostrae nullum esse potest quam Deus ipse, in sua vita interiori; et quamvis pauca de hoc mysterio scire possumus, melius est modicum de Deo cognoscere quam multa de rebus terrenis. Quod quidem melius apparebit ex studio caeterarum theologiae partium, quae disserunt de communicatione vitae divinae creaturis facta per Incarnationem, gratiam et sacramenta: quomodo enim intelligi posset illa communicatio, nisi prius ipsa vita divina describeretur?

(**B**) *Ex necessitate cognoscendi* hoc mysterium.—nam omnes tenentur, saltem necessitate pracepti, scire ea quae fides de Trinitate docet; nec mirum, quum beatitudo nostra in contemplatione Trinitatis consistat; huic igitur tractatui sedulo studeant qui alios

*Auctores consulendi:

S. Athanasius (A. D. 373) *Contra Arianos Orationes Quatuor*; ad Serapionem *Epistolae Quatuor*.

S. Hilarius Pictav. (366) *de Trinitate*; S. Augustinus (430) *de Trinitate*.

S. Anselmus (1109) *Monologium*; Richard. a S. Victore (1173) *de Trinitate*.

S. Thomas (1274) *Sum. Theol.* i, q. 27, 1-43, *Contra Gentes* l. iv, c. c. 2-26

Petavius (1652) *Dogmata Theologica*; Franzelin, *de Deo Trino*.

Newman, *Arians of the 4th cent.*, *Annotated translation of St. Athanasius, and various tracts*.

Manning, *Internal Mission of the H. Ghost*.

instruere debent, haud immemores horum S. Augustini verborum
“ nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur,
nec fructuosius aliquid invenitur.” [de Trin., lib. i, c. 3.]

(C) *Ex erroribus confutandis* :—mysterium S. S. Trinitatis,
propter illius sublimitatem, jam ab initio Ecclesiae fuit impugna-
tum ab haereticis, et hodie etiam impugnatur praesertim ab Unitariis et Rationalistis.

3. DIVISIO.	Cap. I. De Notione mysterii.	Art. I. Ejus definitio. Art. II. Errores eidem oppositi. Art. III. Ejusdem cognoscibilitas.
	Cap. II. De Existencia trium divina- rum personarum.	Art. I. Scriptura probatur, Thesis generalis { Traditione confirmatur et ratione suadetur. Art. II. Thesis specialis de Con- substantialitate Verbi. Art. III. Thesis specialis de divin- itate Spiritus Sancti.
	Cap. III. De Relationibus trium personarum.	Art. I. De Generatione Verbi. Art. II. De Processione Spiritus Sti. Art. III. De divinis Missionibus.

CAPUT I. De Notione mysterii S. S. Trinitatis.

ARTICULUS I. DEFINITIO.

4. Primo exponitur: Vox *Trinitas*, quae jam invenitur in scriptis S. Theophili Antiocheni (A. D. 180), significat, juxta quosdam, trium unitatem, vel, juxta alios, triadem.

Quod rem, S. S. Trinitas definitur: mysterium unius Dei in tribus personis, seu fusius: mysterium trium personarum realiter distinctarum in una et eadem numerice substantia, natura aut essentia.

Hoc mysterium igitur duo importat (*a*) realem distinctionem inter tres divinas personas, (*b*) et perfectam unitatem naturae non solum genericam, aut specificam, sed etiam numericam. Ut melius intelligatur definitio, explicanda sunt verba quae referuntur sive ad

unitatem naturae, sive ad trinitatem personarum.

5. Secundo explicatur: Tres voces adhibentur ad exprimendam unitatem naturae in Deo: essentia, natura, substantia.

(a) *Essentia* est id per quod res est id quod est et a qualibet alia re discernitur: v. g. essentia hominis est animalitas simul et rationalitas, quia illae duae proprietates hominem constituunt id quod est, et illum distinguunt tum ab angelis, qui animalitate carent, tum a brutis, qui rationalitate privantur.

(b) *Natura* (a voce *nascor*) est principium intrinsecum et essentiale operationis et passionis, seu fons internus omnium quae ens elicit et patitur; v. g. in homine natura est simul corpus et anima, quia tum corpus tum anima sunt principia intrinseca omnium quae homo facit aut patitur. Ex hoc apparet essentiam non realiter distingui a natura, sed tantum, virtualiter; natura siquidem nihil aliud est nisi essentia sub diverso respectu considerata, videlicet essentia est *principium essendi*, et natura est *principium operandi*.

(c.) *Substantia* (a vocibus *sub stare*) est res cui convenit esse in se, et non in alio. In rebus creatis substantia opponitur *accidentibus*, quibus convenit esse in alio tanquam in *subjecto*; v. g. in homine substantia est illud intimum, quod absconditum invenitur sub accidentibus corporis et animae et ea sustentat. In Deo autem nulla sunt accidentia, ac proinde substantia nihil aliud est nisi essentia vel natura quatenus consideratur ut in se existens. In Deo proinde essentia, natura et substantia non differunt realiter, sed solum diversi sunt aspectus sub quibus consideratur una et eadem res: unica igitur est essentia, unica natura unica substantia.

6. Tria sunt praesertim explicanda relate ad personalitatem: notio personalitatis, distinctio inter naturam et personam, notio personæ in Deo.

(a) *Persona* in genere est substantia singularis, completa, sui juris, et intellectu praedita. Dicitur "subst. singularis," quia substantiae universales, ut humanitas etc., nonnisi in abstracto existunt nec possunt esse personæ; *completa*, nam inter substantias, aliae sunt incompletæ eo sensu quod indigent uniri alteri substantiae ut possint proprio operationes exercere, v. g. anima brutorum, manus in homine, et haec non possunt esse personæ, aliae autem sunt completae quia possunt per se operationes exercere sibi consentaneas, et hae possunt esse personæ, v. g. angelus, homo; *sui juris* seu incommunicabiliter subsistens, i. e. habens dominium

sui et suarum actionum, quod quidem evenit quotiescumque substantia completa nou assumitur a superiori persona: tune enim existit propter se et habet propriam subsistentiam; *intellectu praedita*, in hoc persona differt a simplici *supposito*, cui conveniunt omnes qualitates supra descriptae, sed quod caret ratione, v. g. canis, arbor, lapis. Personalitas igitur, seu subsistentia, est perfectio per quam natura intellectualis, singularis et completa est sui juris.

(b) Ex hoc apparet *distinctio inter naturam et personam*. Imprimit natura potest esse substantia incompleta, dum persona est semper substantia completa: v. g. corpus humanum, seorsim spectatum est natura quaedam, sed non persona, quia non est substantia completa. Sed insuper et praecipue natura ex se non est sui juris, non est centrum attributionis, sed est solum *principium quo quis utitur ad agendum*, dum persona est *principium quod agit cui proinde tribuuntur omnes actiones*, ac proinde est centrum attributionis: v. g. in homine corpus et anima efformant naturam humanam, quia anima est *principium quo cogitamus*, corpus est *principium quo actiones externas efficimus*, sed neutrum seorsim spectatum est persona; e contra compositum humanum, quod resultat ex unione corporis et animae, est persona, quia tale compositum est *principium quod cogitat, sentit, deambulat, et cui uno verbo tribuuntur omnes actiones sive corporis sive animae*.

(c) *Persona in Deo* communiter definitur *relatio ut subsistens*, i. e. *relatio** non mere accidentalis, sed relatio elevata ad dignitatem personae, ita ut possit esse centrum operationis et attributionis. Quum enim tres sint in Deo personae, et una tantum substantia, sequitur personas in Deo constitui per relationes quas habent ad invicem. Illae autem relationes non sunt mere accidentales, quia nihil est accidentale in Deo: remanet igitur ut sint relationes subsistentes. Sic v.g. persona Patris est *relatio paternitatis ut subsistens*, i. e. ut *principium operationum propriarum*, seu aliis verbis est Deus quatenus active generat Filium; item persona Filii est *relatio filiationis ut subsistens*, seu est Deus quatenus a Patre genitus; tandem, persona spiritus Sancti est *relatio spirationis passivae ut subsistens*, seu Deus quatenus spiratus tum a Patre tum a Filio.

Ex hoc intelligi datur mysterium S. S. Trinitatis in hoc consistere quod una eademque divina essentia a tribus personis possideatur, quae constituuntur per relationes originis.

* Vide in Praelect philosophicis quid et quotuplex sit relatio.

ARTICULUS II.
ERRORES PRAECIPUI ADVERSUS MYSTERIUM S. S.
TRINITATIS

7. Post definitionem mysterii S. S. Trinitatis, errores ipsi oppositos exponere juvat, ut sic melius cognoscatur dogma catholicum, facilius intelligantur argumenta quibus fulcitur, et tutius praecaveatur error. Jamvero tres praecipios errores distinguere licet:—1, Anti-Trinitarii personarum trinitatem negant; 2, Tritheithae unitatem naturae destruunt; 3, alii tandem circa divinas processiones errant.

Radix hujusmodi errorum est difficultas conciliandi unitatem naturae divinæ cum personarum trinitate: alii, ut melius salvarent unitatem naturæ, unicam in Deo personam admirerunt; alii ut melius distinctionem personarum servarent, earum inæqualitatem propugnaverunt.

8. I. Negaverunt *Trinitatem* personarum:

(A) *Modalistæ*, seu *Sabelliani*, qui docuerunt Patrem et Filium et Spiritum S. non esse tres personas distinctas, sed solum tres modos essendi vel etiam tres diversas manifestationes unius ejusdemque personæ; illa persona, quatenus creans, vocatur Pater; quatenus incarnata vocatur Filius; quatenus sanctificans vocatur Spiritus. Vocati sunt etiam Patripassiani; quia tenebant Patrem incarnatum fuisse et pro nobis passum. Praecipui fautores hujus erroris fuerunt Praxeas (II Saec.), contra quem scripsit Tertullianus, Noetus, contra quem scripsit Hippolytus; et Sabellius (III Saec.), qui tanto zelo illam haeresim propugnavit ut secta ejus nomen acceperit; contra cuius errores scripsit S. Dionysius Alex. Ille error renovatus est nostris diebus in libro cui titulus *Jehovah-Jesus*, ubi auctor Rob. Weeks, contehdit unicam esse personam in Deo, scilicet Jehovah, quæ assumpsit nomen Jesus in mysterio Incarnationis, et nomen Spiritus in die Pentecostes.

9. (B) *Sociniani*, ita vocati ab eorum ducibus, Laelio Socino, et ejus nepote Fausto Socino (XVI s.), Protestantium erroribus imbuti, et judicio privato utentes, contenderunt mysterium Trinitatis nullo modo inveniri in Sacra Scriptura: juxta ipsos siquidem, Christus non est Deus, sed mere propheta eximiæ sanctitatis, et Spiritus S. non est persona divina, sed solum virtus aut operatio Dei. Hodie Protestantes, qui hunc errorrem propugnant, vocantur *Unitarii*, præcise quia *unicam* in Deo personam admittunt, et eorum præcipua argumenta ita summantur a J. F. Clarke: “Unitarians reject

the Church doctrine of the Trinity; (**a**) because it is unintelligible, (**b**) because it is nowhere plainly taught in the New Testament, (**c**) because the texts quoted in support of the Trinity are inadequate or irrelevant, (**d**) because there are many texts in the N. T. plainly opposed to the Church doctrine of the Trinity, (**e**) because we know when and where the doctrine of the Trinity began, and how it gradually took form." (*Manual P.* 20.)

10. (**C**) *Rationalistae tandem, qui nullam revelationem admittunt, trinitatem personarum rejiciunt ut rationi contrariam; quidam tamen nomen servant, et dicunt trinitatem constitui ex infinito, finito et inter utrumque relationibus.*

II. Negaverunt consubstantialitatem:—

11. (**A**) *Arianai, sic vocati ab Ario, presbytero Alexandrino, orum duce, qui initio sacculi iv., docuerunt Verbum non esse Patri aequale, neque verum Deum, sed solum creaturam caeteris multo perfectiorem, ante alias ex nihilo productam, qua Deus usus est ad caetera entia creanda. Orta est illa haeresis ex illo principio gnostico quod Deus, prae sua excellentia, non possit directe creature inferiores producere et regere, sed aliquo mediatore seu demiurgo uti debeat. Ille error jam antea edocitus fuerat quoad substantiam ab Ebionitis et Cerinthianis, necnon a Paulo Samosateno, Antiochensi Episcopo, qui Christum esse merum hominem contendebant.*

Ariani damnati sunt in Conc. Nicaeno (325) in quo, promovente praesertim S. Athanasio, declaratum est Verbum esse Patri consubstantiale, *homousion* seu ejusdem naturae, et simul aeternum, et ab aeterno genitum. Nec tamen haeresis statim extincta est, sed in sectas duas fuit divisa:—(**a**) Ariani rigidi seu Anomaei docuerunt Filium esse Patri dissimilem *anomoion*; (**b**) Semi-Ariani autem tenuerunt Filium esse Patri similem, similem in substantia *homoion*, juxta quosdam, similem sine addito, *homoion* juxta alios. Error Arianorum renovatus est a Samuele Clarke, anglicano theologo saec. XVIII.

12. (**B**) *Macedoniani originem ducunt a Macedonia, qui primum fuit Semi-Arianus et deinde, ope Arianorum, Episcopus C. P. electus [341], divinitatem et consubstantialitatem Spiritus S. negavit, et asseruit Spiritum S. esse solum ministrum Patris et Filii, et creaturam caeteris perfectiorem. Damnati sunt in Conc. C. P. (381) in quo declaratum fuit Spiritum S. et vivificantem a Patre procedere, et esse cum Patre et Filio simul adorandum.*

13. (C) *Tritheitae*:—(a) *Philoponus*, philosophus Alexandrinus saec. VI, naturam et hypostasim, seu personam confundens, docuit tres esse naturas in Deo sicut et tres personas: ex quo sequebatur tres esse deos, quamvis ipse conclusionem non admiserit.

(b) Abbas *Joachim* (XII Saec.) docuit inter tres personas divinas existere solum unitatem moralem, illam scilicet quae oritur ex consensi voluntatis, et existit inter christianos: ex quo partiter sequebatur tot esse naturas distinctas quot sunt personae in Deo: damnata fuit ejus haeresis in Conc. Lateranensi IV (1215).

3. Tandem nostris diebus *Gunther*, germanus theologus, asseruit in Deo esse tres substantias identicas, et illas habere quamdam unitatem formalem in eo sitam quod tres illae substantiae, seu personae, ad invicem coadunentur per conscientiam. Fundamentum hujus erroris in falsa personae definitione jacet: juxta ipsum siquidem, persona est natura sui: conscientia, et quam sint tres in Deo personae, sequitur tres esse in Deo naturas sui conscientias.

III. Errorres contra processiones divinas.

14. (A) *Harduin* et *Beruyerius*, ambo e Soc. Jesu (XVII et XVIII Saec.) erraverunt circa generationem Verbi: Harduin, scilicet, admittebat quidem divinitatem Verbi, sed negabat ipsum procedere a Deo per veram generationem, docebatque Ipsum factum fuisse Filium Dei solummodo in instanti Incarnationis quando scilicet Deus naturam humanam Christi efformavit in utero Virginis et eam Verbo univit. Beruyerius pariter docuit actionem qua Deus univit naturam humanam Xti. cum Verbo esse veram generationem.

15 [B] *Photius*, pseudo-patriarcha C. P. [IX Saec.] in odium Ecclesiae Romanae, a qua depositus fuerat, dogma processionis Spiritus S. impugnavit, docendo ipsum procedere quidem a Patre non autem a Filio, Latinosque ut haereticos denuntiando eo quod Symbolo particulam *Filioque* addidissent. Error ille damnatus est in variis Concilis praesertim Florentino [1439], cui Graeci assistebant, sed nihilominus adhuc ab Ecclesia Graeca retinetur.

Fusiorem descriptionem harum haereseon videoas apud scriptores Historiae Ecclesiasticae,—v. g. apud Birkhauser, pag, 90, 181, 194, 322, 611.

ARTICULUS TERTIUS.

DE COGNOSCIBILITATE MYSTERII S. S. TRINITATIS.

16. Post traditam notionem mysterii S. S. Trinitatis et errorum qui ipsi opponuntur, inquirendum est quid ratio cognoscere valeat

de hoc mysterio. Non defuerunt theologi qui existimarent illud mysterium ratione demonstrari posse, inter quos citantur Abelardus, Raymundus Lullus, et Gunther:— ex adverso Rationalistae et Unitarii contendunt hoc mysterium esse rationi oppositum. Unde in duplice thesi probabimus mysterium S. S. Trinitatis esse quidem *supra*, sed non *contrâ* rationem.

17. *Thesis prima:*

MYSTERIUM S. S. TRINITATIS NON POTEST SOLA RATIONE COGNOSCI VEL DEMONSTRARI:—Certum est.

(A) Illud enim per solam rationem cognosci nequit quod est notum soli Deo aut illi cui Deus illud revelare voluit; atqui ita est de mysterio Trinitatis, ut constat ex his textibus: “Deum nemo vidi unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit.” (Jno. i, 18.) “Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare” (Matt. xi, 27.) Ergo.

(B.) *Trad.* Declaravit C. Vaticanum [de Fide et Ratione Can. 1.] quædam mysteria esse quæ per rationem neque inveniri neque demonstrari possunt; atqui, ex omnium confessu, mysterium Trinitatis est omnium difficillimum; Ergo per rationem neque inveniri neque demonstrari potest.

[C] *Ratione.* Omnis demonstratio fit vel a priori, vel a simultaneo, vel a posteriori; atqui existentia S. S. Trinitatis non potest demonstrari a priori, seu per causam, quia Deus nullam causam habet; nec a simultaneo, seu ex ipsa notione Dei, quia talis notio involvit quidem infinitas ejus perfectiones, sed nullomodo exigit duas, vel tres, vel quatuor esse personas in Deo; neque a posteriori, seu per effectus, quia effectus a Deo producti causantur a Deo, non quatenus trinus sed quatenus unus est, causantur scilicet ab omnipotentia quæ ad naturam non ad personas pertinet.

18. *Corollaria:*

(A) Etiam supposita revelatione, mysterium Trinitatis naturali ratione demonstrari nequit. Hoc patet ex ratione jam allata, et insuper ex facto quod a novemdecim saeculis nullum argumentum rationale vere convincens afferri potuerit ad demonstrandum hoc mysterium. Unde recenter damnata fuit sequens propositio Rosmini: “Revelato mysterio S. S. Trinitatis potest ipsius existentia demonstrari argumentis mere speculativis, negativis quidem et indirectis, hujusmodi tamen ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur.”

19. [B] Falso igitur asseritur a quibusdam Rationalistis Christianos doctrinam suam de Trinitate a paganis Philosophis mutuatos fuisse. [a] Asseritur quidem *Platonem* Trinitatem docuisse; sed immerto: loquitur quidem de intellectu divino, quem vocat Logon, pari' er de anima mundi, necnon de ideis divinis quos vocat Archetypum mundi, sed nullibi asserit tres illos terminos esse realiter distinctos et simul aequales; et aliunde notiones confusas, quas tradit hac de re, probabiliter a Judaeis traditionibus accepit. [b] Item *Philo Judaeus*, qui primo saeculo vixit, disserit quidem de Verbo, sed non sibi constat; quibusdam in locis affirmare videtur illud esse a Deo distinctum sed simul inferius ipsi; alibi tradit illud non esse distinctum a Deo, sed ejus intellectum vel sapientiam. Nullibi autem de tertia persona, seu de Spiritu Sancto loquitur. [c] Schola *Alexandrina*, quae saec. III floruit, quamdam trinitatem admittere videtur, scilicet Bonitatem, Intelligentiam immobilem, et Animam supramundanam, sed tres illas res non sunt aequales nec ejudem naturae. [d] Nostris diebus asseritur trinitatem inveniri in sacris *Indorum* libris: "The Hindoo trinity is a combination of three powers, that of creation, Brahma, of preservation, Vishnu and destruction, Siva." Sed ex eisdem libris constat eos esse tres deos plane distinctos, qui successive adorati sunt a varis Indorum sectis; deinde vero plurimis post propagatum Christianismum saeculis, Brahmani, ut illas sectas in unam coadunarent, triadem quamdam confecerunt ex tribus praecipuis diis hucusque separatim adoratis. Minime igitur possunt variae istae elucubrations mysterio nostro comparari, quod clare Trinitatem personarum et earum perfectam acqualitatem docet, sed ut vestigia quedam primaevae revelationis considerari possunt.

20. Thesis Secunda :

NULLA REPUGNANTIA CONCIPITUR IN DOGMATE S. S. TRINITATIS
RECTE EXPOSITO.—Probatur:

[A] *Auctoritate*: Jam enim a novemdecim saeculis illud dogma creditur non solum a rudibus sed a viris præstantissimis, non solum in Theologia, sed etiam in Philosophia et scientiis naturalibus versatis, qui difficultates contra illud allatas perpenderunt et confutauit; atqui repugnat tot tantosque viros admisisse dogma absurdum, rationi contrarium, praesertim quum minime passionibus faveat, sed contra ipsis opponatur: Ergo.

[B] *Ratione*: Adesset quidem repugnantia in mysterio S. S. Trinitatis si ennuntiatio illius contineret terminos se invicem exclu-

dentes; atqui non est ita, nam non dicimus tres esse naturas, in Deo et simul unam naturam, aut tres personas et unam personam, sed dicimus Deum esse unum sub respectu naturæ, et trinum sub respectu personarum; Jamvero aliquod ens potest esse unum sub aliquo respectu et multiplex sub alio. Sic. v. g. in homine adest duplex substantia, substantia spiritualis, seu anima, et substantia materialis seu corpus, et tamen adest unica persona. Utigitur contradictio esset in hoc mysterio, probari deberet nullam esse distinctionem inter naturam et personam; quod quidem fieri nequit, ex jam dictis.

(21.) *Solvuntur Dificultates:*

(A). Objiciunt Unitarii: "According to the common and familiar use of the word three persons are three beings.... If, therefore, the word person is to be taken according to the common use, the doctrine of the Trinity would be evidently a contradiction in terms: it would be equivalent to saying: God is one being, but God is three beings." (J. F. Clark, Orthodoxy, p. 489).

Resp.:—Illa difficultas manifeste supponit nomen personae Deo applicari eodem sensu ac creaturis; quod quidem falsum est; nam ut diximus, persona in Deo est relatio ut subsistens, v. g. personæ Patris est relatio paternitatis elevata ad dignitatem personæ. Igitur ex eo quod sunt in Deo tres personæ non licet concludere tres esse substantias, sed solum tres relationes reales et subsistentes quæ sunt sui juris. Nec mirum est personæ notionem aliquo modo mutari quando de Deo prædicatur, nam idem fit pro omnibus rationibus quæ a creaturis ad Deum transferuntur, propter infinitam ejus perfectionem: aliunde quod constituit personam est in communicabilitas, seu facultas agendi sibi et propter se: jam vero illa essentialis proprietas servatur in definitione personæ prout Deo applicatur.

(B) Instant et dicunt: "According to this view God is one being who reveals Himself in three ways, or sustains three relations, or manifests Himself in three modes of operation. The Trinity here becomes a nominal thing, and is in reality only Unitarianism with an orthodox name" (Ibid. p. 494).

Resp:—Concedo quidem Deum esse unum, i. e. unam substantiam, sed nego Trinitatem nostram consistere solum in tribus diversis modis quibus Deus se manifestat, aut quibus operatur; consistit enim in tribus relationibus internis, realibus et subsistentibus, quæ gaudent privilegiis essentialibus personalitatis; doctrina igitur nostra non est Unitarianismus, vel modalismus, nec

parites Tritheismus, sed stat media inter duos istos errores.

(C) Instant cum eodem Clarke: "Your proposition is not mysterious; it is unintelligible; it is not a mystery; it is only a mystification." (Ibid. 491, 492.) Resp. Nego antecedens; mysterium nostrum non est quidem comprehensibile, sed est intelligibile iis omnibus qui sane philosophiae studuerunt, et inter naturam et personam aliquam differentiam percipere valent; potest enim sic exprimi: adeo in Deo una natura quæ possidetur a tribus personis. Jamvero haec propositio est quidem mysterio plena, sed non intelligibilis.

(D) Instant iterum: Quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se; atqui tres divinæ personæ sunt quid unum et idem cum essentia ergo eunt eadem inter se.

Resp: Distinguo majorem: quae sunt eadem uni tertio sub omni respectu, sunt eadē inter se, concedo; quae sunt eadem sub aliquo respectu et differunt sub alio, Nego. Jamvero personæ sunt eadem cum natura sub aliquo respectu, quatenus, scilicet aequaliter possident divinam naturam, sed differunt ab ea virtualiter, quia non possident divinam naturam eodem modo, v. g. Pater dat illam naturam Filio, Filius accipit eam. Illustratur comparatione: Actio et passio distinguuntur virtualiter tantum a motu, nam actio est motus datus et passio est motus receptus, sed tamen actio et passio realiter distinguuntur ab invicem; ita pariter divinae personæ virtualiter destinguuntur a natura, et realiter distinguuntur ab invicem.

CAPUT II. De Existentia trium personarum in Deo.

(22) Exposita notione mysterii S. S. Trinitatis, ejus existentiam demonstrare necesse est: in thesi generali trinitatem personarum et earum consubstantialitatem probabimus ex illis textibus quæ ad tres divinas personas simul referuntur; quia vero modo speciali impugnatur consubstantialitas Verbi et Spiritus Sancti, duplificem thesim contra illos errores dirigemus.

ARTICULUS I. THESIS GENERALIS.

23. TRES SUNT PERSONÆ REALITER DISTINCTÆ IN UNA EADEMQUE ESSENTIA DIVINA. PATER SCILICET, FILIUS ET SPIRITUS SANCTUS.—*De fide est.*—Thesis probatur ex Scriptura: insinuatur in Veteri Testamento et aperte declaratur in Nōvo.

I. In *Veteri Testamento* primum indigitatur quædam pluralitas personarum in Deo, et deinde apertius declaratur existentia secundæ saltem personæ et ejus divinitas.

24. I. Quoad *Trinitatem in genere.*

(A) Deus, antequam hominem crearet, dixit: "Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram" (*Gen. i, 26.*); item, quando jam in eo erat ut expelleret protoparentes ex paradiſo, ait: "Ecce Adam quasi unus ex nobis" (*Gen. iii, 22.*) tandem post ædificationem turris Babel, Deus ita loquitur: "Venite igitur descendamus et confundamus ibi linguam eorum" (*Gen. xi, 7.*) atqui, licet stricte loquendo, illud plurale in lingua hebraica adhiberi possit pro unica persona, ad intensitatem exprimendam, melius tamen explicatur si de facto admittantur plures in Deo personæ, et de facto Rabbini non pauci et plerique Patres ita præfata verba interpretati sumt: ergo. Vide etiam *Gen. xviii, 1-3.* "Apparuit autem ei Dominus... apparuerunt ei tres viri ...et adoravit in terram." Exinde S. Ambrosius scribit: "Tres videt, unum adorat." (*De Cain et Abel i, 8.*)

(B) In libro *Numerorum* (vi, 23-26.) invenitur formula benedictionis, quam sacerdotes super populum recitabant, et in qua ter repetitur nomen Jehovae; atqui Rabbini quidam et Patres in hoc viderunt aliquam adumbrationem mysterii Trinitatis, praesertim quum tria dona, quae per hanc benedictionem impertiumt, scilicet custodia, misericordia et pax optime approprient tribus Divinis personis. Eodem sensu Patres quidam intellexerunt visionem apud Isaiam (vi, 1-9) relatam, in qua scilicet Deus trina appellatione "Sanctus, Sanctus, Sanctus" a Seraphim salutatur, et auditur vox Domini dicentis: "quem mittam, et quis ibit nobis?"

(C) Iterum in libro Sapientiae (ix, 1-2, 14), Salomoni tribuitur haec oratio "Deus patrum meorum, qui fecisti omnia Verbo tuo, et Sapientia tua constituisti hominem;" atqui comparando illa verba cum iis quæ in Novo Test, inveniuntur circa Verbum Divinum, satis aperte recognoscitur in præfato textu Secunda persona S. S. Trinitatis; tertia autem paulo inferius (17) designatur "sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis." Ergo.

25. II. Quoad *Verbum in specie.*

(A) In Psalmis (ii, 4: cix, 1) distinguuntur duo Domini plane distincti, quorum unus generat alterum, unus sedet ad dexteram alterius. "Filius meus es tu, ego hodie genui te....Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis" atqui in his locis apparent non solum

existentia secundae personae, sed etiam ejus divinitas et consubstantialitas; nam Filius, qui generatur a Patre, debet possidere eamdem naturam ac Pater, et quum in Deo unica sit numerice natura, ut patet ex multis aliis locis Scripturae, perfecta naturae identitas inveniri debet in Patre et Filio.

(B) Eadem doctrina clare invenitur in prophetia Emmanuel (Isai. vii, 14 etc.), quam explicabimus in Tr. de Incarnatione, et in libris Proverbiorum et Ecclesiastici, in quibus asseritur existentia Sapientiae cuiusdam increatae, a Deo distinctae et tamen omnes divinitatis characteres prae se ferentis; hunc locum exponemus ubi de Divinitate Verbi.

26. Mysterium S. S. Trinitatis, jam adumbratum in Veteri Test.,
Plene revelatur in Novo.

Probatur: 1. ex Annuntiationis mysterio.

(A) Imprimis trinitas personarum in ipso mysterio Annuntiationis sufficienter enuntiatur; ibi enim videmus Angelum a Deo *Patre misum* "missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae" (Luc. i, 26); deinde exhibetur *Spiritus Sanctus* ut efformaturus animam et corpus Christi in utero Virginis; "Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi." (35); tandem *Filius annuntiatur* ut ex virgine nasciturus; "ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei."

(B) Earumdem consubstantialitas non potest quidem evidenter demonstrari ex hoc solo textu; sed jam insinuatur, quia secunda persona vocatur *Filius Dei*, et *Sanctum seu Sanctitas ipsa*, atqui *Filius verus et proprio dictus particeps esse* debet et quidem substantialiter naturae Patris, et nemo potest vocari *Sanctitas* in sensu stricto, nisi sit essentialiter *sanctus seu Deus*.

27. 2. Ex Baptismo Christi.

(A) In Baptismo Christi clare etiam appareat realis distinctio trium personarum, non solum ex variis nominibus quibus designantur, sed etiam ex operationibus plane distinctis quas efficiunt; siquidem Pater loquitur de celo: "et ecce vox de celis dicens; hic est Filius dilectus, in quo mihi complacui." (Matt. iii, 17): Filius autem baptizatur a Joanne Baptista et ascensit de aqua "baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua" (16): tandem *Spiritus Sanctus* descendit super Christum, et quidem sub corporali specie columbae "et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum." (Luc. iii, 22); evidens est igitur illos tres non esse unam personam, sed tres personas realiter distinctas.

(B) Unitas autem naturæ non quidem tam clare sed tamen aliquomodo apparet; nam Christus asseritur Filius Dei; et quidem per excellentiam, vocatur enim *o huios* cum articulo, et additur "in quo mihi complacui," ut insinuetur eum esse Filium proprium et præ omnibus dilectum. Spiritus autem vocatur Spiritus Dei, seu a Deo ipso procedens, ut plenius alibi explicabitur, ac proinde substantiæ divinæ particeps.

28. 3. Ex promissione Spiritus Sancti.

(A) Nec minus clare apparet trium personarum realis distinctio in promissione Spiritus Sancti a Christo facta in Cœna ultima. Ait enim Christus: " Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.... Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum." (John xiv, 16-26). Sane realis esse debet distinctio inter Patrem qui mittit Spiritum, et Filium qui rogat ut Spiritus mittatur, et Spiritum ipsum qui mittitur a Patre in nomine Filii.

(B) Ex contextu apparet etiam trium personarum consubstantia-
litas; (a) paulo enim antea Christus dixerat: "qui videt me, videt et Patrem.... Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite" (9-12): quae quidem verba perfectam aequalitatem Patris et Filii important, praesertim si sumantur cum toto contextu, et loco parallelo apud Joannem (x, 30) "Ego et Pater unum sumus.... Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, operibus credite...." (b) Item Spiritus Sanctus dicitur procedere a Patre, vocatur Spiritus veritatis "Spiritum veritatis qui a Patre procedit" (John. xv, 26); atqui qui procedit substantialiter a Deo debet illius naturæ esse substantialiter particeps, seu Deus: quod confirmatur ex eo quod sit veluti fons veritatis, ipsique tribuatur illa scientia perfecta quae necessaria est ad apostolos illuminandos de omnibus ad fidem pertinentibus.

29. 4. Ex formula Baptismi.

(A) Tandem trinitas personarum manifeste apparet in forma Baptismi a Christo tradita "Euntes ergo docete omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti" (Matt. xxviii, 19); nam in textu graeco tum conjunctio *kai* tum articulus *tou* repetuntur ante nomen cuiuslibet personæ; quod quidem ridiculum esset si unica tantum esset in Deo persona, triplici virtute prædita; repetitio enim articuli tam emphatica non potest explicari sine trinitate personarum.

(B) Ex iisdem verbis deducitur etiam unitas; nam agitur hic de rito baptismali, per quem confertur gratia sanctificans: jam vero gratia non potest dari nisi in nomine, seu virtute, seu auctoritate Dei; ergo tres personae, in quarum nomine datur gratia, sunt rea-liter Deus, ac proinde unius divinæ naturæ sequaliter participes.

30. 5. ex *Apostolorum praedicatione*. Constat enim Apostolos, statim post Pentecosten, divinitatem Christi prædicavisse *ex professo*, et divinitatem Spiritus Sancti *data opportunitate*, ac proinde tres personas in Deo agnovisse. Vide Act. iii, 13-16; v, 3-4: 1 Cor. xii, 3-11; 2 Cor. xiii, 14; 1 Petr. i, 2.

Quoad textum "Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus S., et hi tres unum sunt" (1 Joa v, 7), de ejus authenticitate disputatur: vide *pro*: Franzelin, th. v; Wiseman's Essays, Letter on 1 John; *contra*: Horne's Introduction et præser-tim. Abbe J. Martin, *Introduction à la Critique du N. T.* tome v. Cornely, (*Introductio*, iii, p. p. 668-682) optimam synopsim hujus controversiae habet.

Thesis TRADITIONE PROBATUR.

31. 1. *Ex Patrum testimonio*. Ad demonstrationem vere scientifi-cam testimonia præcipuorum Patrum qui in tribus prioribus saeculis vixerunt, afferre oportet; quum autem limites hujus Compendii hoc non permittant, pauca solum testimonia exhibebimus exempli gratia; qui plura desiderat legere possunt Petavium de *Trinit.* Praefat. et lib i., Bull, *Defensio fidei Nicaenae*, Shedd, *History of Christian doctrine*, 1887, i, 2 6-288.

(A) *Patres Apostolici*, sic vocati quia apostolorum discipuli fuerunt non quidem modo scientifico, sed simplici expositione, more Apostolorum, mysterium S. S. Trinitatis docuerunt. Imprimis S. Clemens Papa (*Epist. ad Corinth.*, 46) haec habet "Nonne habe-mus unum Deum, et unum Christum, et unum Spiritum gratiae?" et in decursu Epistolae apparet Christum esse vere Filium Dei, et Spiritum S. pariter esse Deum. Item S. Ignatius. martyr (*ad Magnes* 13) dicit "Studete igitur ut confirmemini dogmatisbus Domini....in Filio et Patre et Spiritu Sancto."

(B) *Patres secundi saec.* jam incipiunt hoc dogma exponere modo magis philosophico, illud comparationibus et analogiis philosophicis illustrando....S. Justinus (*Apol* i, 67) ait "Eum (Patrem) et Filium et Spiritum propheticum colimus et adoramus," dein in *Dial cum Tryphone*, 56 variis argumentis demonstrat non essi nisi unicum Deum qui creavit omnia, et tamen alium esse

Patrem, Creatorem omnium, et alium Filium, per quem creavit omnia, et qui se manifestavit Patriarchis. *S. Athenagoras (Legat. 10, 12, 24)* haec habet "Quis non miretur, quum atheos vocari audit qui assérunt Deum Patrem, et Filium Deum, et Spiritum, Sanctum eorumque ostendunt et essentiam in unitate, et distinctionem in ordine?"

(C) In tertio saec. jan inveniuntur Tractatus de Trinitate: ita *Tertullianus* scripsit integrum tractatum adversus Praxeam; item *S. Hippolytus contra Noetum*. Item in Ecclesia graeca, *Clemens Alexandrinus* multa tradit de Trinitate: *Origenes* multo plura etiam docuit, et licet erraverit dum modo philosophico illud mysterium exponere vellet, quando simpliciter exponit dogma, catholicam fidem exhibet. Tandem *S. Gregorius Thaumaturgus*, *Origenis* discipulus, professionem fidei edidit, quae optime concordat cum Symbolo Nicaen. "Unus Deus Pater Verbi, Unus Dominus Unigenitus Patris, Deus de Deo....Est etiam Spiritus Sanctus ex Deo procedens Trinitas perfecta."*

32. *Principia ad solvendas difficultates.* Nostris temporibus fides Patrum Ante-Nicaenorum circa Trinitatem a Rationalistis et Unitariis in dubium revocata fuit; imo assertum fuit a nonnullis Patres hujusmodi negavisse dogma S. S. Trinitatis. Ad has difficultates solvendas duo praesertim sunt notanda:

(A) Imprimis defensores illius dogmatis, tempore arianae controversiae, confidenter adversarios suos ad Patrum anteriorum fidem et traditionem provocarunt; ita v. g. *S. Athanasius (De Decret. Nic. Syn. 27)*: "Vos autem, O novi Judaei, quos demum assertionum vestrarum patres ostendere valetis? Ne unum quidem e prudentibus et cordatis nominare potestis?" E contra Ariani fraudibus utebantur ut suam occultarent haeresim simplicesque deciperent. Atqui haec duo manifeste supponunt tunc temporis generalem persuasionem fuisse Patres priorum saeculorum Trinitati omnino favere; ergo.

(B) Insuper sedulo distinguendum est inter dogma ipsum et modum scientificum quo exponitur: quando Patres simpliciter expnunt dogma catholicum, sunt vere traditionis testes, et nullum est dubium quin plerique saltem in hoc sensu recte de Trinitate locuti fuerint; quando vero conantur modo scientifico illustrare hoc dogma comparationibus et analogiis philosophicis, loquuntur ut privati

*Vide *Ante-Nicene Fathers*, Amer. edition, vi, 7.

Doctores, et quia tunc temporis sensus verborum non erat clare definitus, expressiones aliquando adhibent, quae hodie ut erroneae a theologis pronuntiantur: ex hoc autem concludi nequit illos mysterium Trinitatis ignorasse vel negasse, sed solum ipsos inhabiles fuisse ad perfecte conciliandum illud dogma cum philosophia.

33. 2. *Ex praxi Ecclesiae:*

(A) Imprimis *baptismi formula*, quae ab initio adhibita fuit, distinctionem simul et unitatem trium personarum clare exprimit praesertim si sumatur cum trina immersione qua baptismus tunc, conferebatur, et explicationibus Patrum; audiatur unus Tertullianus: "non semel, sed ter, ad singula nomina, in personas singulas tingimur." (*Ad Prax. c.* 27)

(B) Varia *symbola*, quae profiteri debebant catechumeni, antequam baptizarentur, idem mysterium edocebant sub forma affirmativa "Credo in Deum etc." vel interrogativa "Credis in Deum Patrem etc.?"

(C) *Doxologiae*, quas cantabant Christiani et quae sunt perantiquae, ut Patres testantur, eamdem fidem profitentur: "Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto," vel "Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto."

(D) *Martyrum confessiones* coram tyrannis novum argumentum exhibent: v. g. s. Polycarpus, Joannis apostoli discipulus, supra rogum exclamavit "Verax Deus, glorifico te cum aeterno et coelesti Jesu Christo cum quo tibi et Spiritui Sancto gloria nunc et in futura saecula." (*Smyrnaearum epist.* 14.)

(E) Nec minus convincens est ratio agendi Ecclesiae cum haereticis Trinitatem negantibus; statim enim ac illud dogma impugnatum fuit, Patres ad illud defendendum surrexerunt; ita Ebionitae seu Gnostici ab Ignatio confutati sunt, Praxeas a Tertulliano, Noetus a S Hippolyto, Paulus Samosatenus a Concilio Antiocheno, etc.

34. 3. *Ex Symbolis et definitionibus Ecclesiae.*

(A) Antiquissimae Symbolorum formulae, prout inveniuntur apud Irenaeum (*Contra Haeres.* i, 10; iii, 4), Tertullianum (*de Velandis Virginibus*, c. i) aut Novitianum (*de Trinitate*) explicitam fidem profitentur in "unicum Deum Omnipotentem, et Filium ejus Jesum Christum, et Spiritum Sanctum, paracletum et sanctificatorem". Vide Denzinger, *Euchiridion*, n. 1-13.

(B). Eadem fides fusius definita invenitur in Symbolis Nicæno, Constantinopolitano et Athanasio no (*Denzing.* 17, 47, 135.)

35. 4. Ex arg. praescriptionis.

Certum est dogma S. S. Trinitatis fuisse creditum in Ecclesia, initio saltem quarti saeculi quando definitum fuit a Con. Nicaenō. Atqui tale dogma non fuit introductum in saeculo tertio, vel secundo vel ab immediatis Apostolorum successoribus; ergo tale dogma ab Apostolis et Christo fuit edoctum. Probatur minor: si enim tale dogma introductum fuisse, illud contigisset per mutationem sensibilem; atqui neutrum dici potest: (a) non prius, nam si mutatione *sensibilis* facta fuisse assignari deberet tempus, locus, et auctor illius: hoc autem fieri nequit, quia de facto nulla inveniuntur vestigia hujus mutationis in doctrina Ecclesiae, sed e contra historia ostendit mysterium Trinitatis fuisse quidem ab initio impugnatum a paucis haereticis sed statim propugnatum a Patribus. Objiciunt quidem Rationalistae illud dogma introductum fuisse a Clemente Alexandrino, vel S. Justino, qui graecam philosophiam optime cognoscebant, sed hoc aperte factis contradicit, quum citaverimus testimonia Patrum S. Justino et Clementi anteriorum; ergo non potest admitti mutatio sensibilis. (b) Nec admitti potest *insensibilis mutatio*, quia dogma tam maximi momenti, tam intime conexum cum praxi christiana et cultu divino, tam oppositum humanæ rationis prejudiciis, non potuit, modo insensibili, sine ulla reclamatione, sine disputationibus, in Ecclesiam universalem serpere. Ergo remanet ut ab Apostolis ipsis originem ducat.

36. Thesis RATIONE SUADETUR: mysterium S. S. Trinitatis non potest quidem ratione demonstrari: potest tamen illustrari comparisonibus, et analogiis, et argumentis convenientiae suaderi.

37. 1. Ex comparisonibus et analogiis.

(A) In creatione corporea tria distinguuntur regna, minerale scilicet, vegetale et animale, quae licet omnino distincta sint sibi invicem cohaerent, et ad unitatem mundi constituendam concurrunt.

(B) Quodlibet corpus trinas exhibet dimensiones. Plantae tribus elementis constituuntur, radibus, truncu, foliis. Animalibus tres praecipuae insunt facultates, sensitiva, appetitiva et locomotiva.

In homine tres vitas distinguere licet vegetativam, sensitivam, intellectualem; in ipsa vita intellectuali hominis tria apparent, principium illus vitae seu anima, deinde intellectus et voluntas. In omni propositione adest subjectum, copula seu verbum, et attributum; in syllogismo tres sunt termini.

(C) In sole tria pariter distingue valemus, ipsam substantiam solis, lumen et calorem; imo quilibet solis radius lumen, calor et motus est. Jamvero haec omnia non sunt quidem demonstratio mysterii Trinitatis, sed posita illa frequenti repetitione numeri ternarii in rebus naturalibus, facile inclinamur ad admittendam aliquam Trinitatem in Auctore naturae.

2. Ex *argumento convenientiae*. Inter argumenta convenientiae unicum exponemus ex Summa theol. desumptum (I p., q. xxvii-xxx). Angelicus Doctor successive probat duas esse in Deo processiones, ex illis processionibus oriri tres relationes realiter distinctas, quae tres divinas personas constituunt.

(A) Duae sunt in Deo processiones immanentes, et duae tantum: (**a**) *duae sunt*: nam Deo tribuendum est, et quidem summo gradu, quidquid perfectionis invenitur in creaturis intellectualibus, atqui in creaturis intellectualibus duae sunt processiones immanentes, sc., *cogitatio*, quae ab intellectu procedit, et *amor a voluntate*; ergo. (**b**) *sunt duae tantum*: nam tot sunt processiones in Deo quot sunt actiones immanentes; atqui duae sunt tantum actiones immanentes in Deo, *cogitatio* et *amor*, nam *sentire* nequit esse in Deo qui nullos sensus habet; pariter non possunt esse plures intellections aut volitiones numero distinctae quam Deus omnia uno et simplici actu intelligat et velit, ac proinde in ipso est unica *cognitionis*, unus amor.

(B) Illae duae processiones *quatuor producunt relationes*; etenim quaelibet processio duas producit relationes, unam activam, passivam alteram; sic processio intellectiva producit relationem cognitionis activae, quae vocatur *Paternitas*, et relationem cognitionis passivae quae vocatur *filiatio*; item processio per voluntatem producit relationem amoris activi, quae vocatur *spiratio*, et relationem amoris passivi, quae vocatur *simpliciter processio*.

(C) Quatuor illae relationes constituunt *tres personas*. Etenim tot sunt personae in Deo quot sunt relations subsistentes realiter distinctae; atqui tres sunt tantum in Deo relations subsistentes realiter ab invicem distinctae: siquidem *paternitas* et *filiatio* realiter distinguuntur, quia sibi invicem opponuntur, et constituunt personam Patris et personam Filii; insuper amor passivus, seu *processio passiva* realiter distinguitur a paternitate et filiatione, et constituit personam Spiritus Sancti, sed spiratio activa, nullam habens oppositionem cum paternitate et filiatione, non distinguitur realiter ab ipsis nec proinde constituere potest personam. Ergo.

Hoc argumentum diserte et eloquenter evolvit Lacordaire. Gol,
The inner life of God.

ARTICULUS II.

DE CONSUSTANTIALITATE VERBI.

Thesis: VERBUM, SEU FILIUS, EST VERA PERSONA A PATRE DISTINCTA VERUSQUE DEUS. De fide est contra Arianos, Socinianos et Unitarios.

39. I. Probatur ex *Scriptura*: 1 ex *Vet. Testamento*. Inter textus *Vet. Test.* circa divinitatem Verbi, eos seligimus qui sapientiae increatae originem et attributa describunt; argumentum enim valde probabile, si non apodicticum, exhibent. In libro *Proverbiorum* (viii, 22-31) haec leguntur de Sapientia: "Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio: ac aeterno ordinata sum.....nondum erant abyssi et ego jam concepta eram....cum ea eram cuncta componens" Item in libro *Ecclesiastici* (xxiv, 5-6) Sapientia de se ipsa dicit: "Ego ex ore altissimi prodivi, primogenita ante omnen creaturam, ego feci in coelis, ut oriatur lumen indeficiens etc. Vide. etiam *Sap.* x. Ex his textibus duo concludere licet: (**A**) Sapientia, de qua hic agitur, est vera persona a Deo distincta, nam dicitur *genita a Deo*; vox enim possedit (hebraice kanani) saepe saepius adhibetur in S. *Scriptura* ad designandam generationem; insuper confirmatur illa interpretatio ex contextu ubi declaratur sapientiam fuisse conceptam a Deo, esse primogenitam: jamvero inter generantem et genitum debet esse distinctio realis; ergo. Aliunde plerique patres, scilicet plusquam viginti ab Athenorgora ad Augustinum, praefata verba audiunt de divina persona a Patre distincta, licet pauci de mero attributo divino ea intellexerint.

(**B**) Eadem sapientia est aequalis Deo et divinitatis particeps; nam ipsi tribuitur

(**a**) Vis *creativa*: "cum eo eram cuncta componens....ego feci ut oriatur lumen...."

(**b**) Aeternitas: "ab aeterno ordinata sum...."

(**c**) Supremum dominium etiam super reges: "per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt ..." Objicitur quidem in textu graeco proverbiorum legi "Dominus creavit me 'extise' porro aliquid creatum non potest esse Deus. Sed respondetur vocem graecam 'extise' non semper significare creavit, sed saepe 'formavit'

produxit' aliunde textus originalis certo paeferendus est graecae versioni, et jam diximus vocem hebraicam significare 'possedit, i. e. genuit.'

40. 2. Ex *Novo Testamento*.

(A) Imprimis classicum est hac de re proemium S. Joannis (i, 1-5): "in principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum etc.... Ibi clare apparet: (*a*) *distinctio Verbia Patre, nam dicitur*" Verbum erat *apud* Deum, i. e. in sinu Patris, ut infra dicitur; insuper additur infra "Verbum caro factum est" et deinceps illud Verbum vocatur *Filius Dei unigenitus* (18): jam vero inter Filium et Patrem adest distinctio realis. (*c*) *perfecta aequalitas* cum Patre; nam Verbum vocatur *Deus* "Et Deus erat Verbum"; ipsi tribuitur *aeternitas* "in principio erat Verbum", i. e. a tota aeternitate existit; eidem assignatur vis *creatrix*: "omnia per ipsum facta sunt", necnon prima *origo vitae* "in ipso vita erat et vita erat lux hominum," quae quidem omnia soli Deo competunt; ergo.

41. (B) Alius locus vere classicus est ipsa declaratio Christi (Jo. x, 30.); cum enim Judaei ab eo inquirerent quis esset, utrum esset Messias vel non, respondit: "ego et Pater unus sumus" Jamvero illa verba intelligenda sunt *de unitate naturae*, non autem de unitate morali tantum; nam ita intellecta sunt a Judaeis ipsis, qui sustulerunt lapides ut Chirstum lapidarent "quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum." Nec dicatur postea Christum sua verba emollire citando textum scripturae, in quo etiam homines dicuntur dii, hoc enim, inspecto contextu, est argumentum *a minori ad majus*, quasi diceret "si homines, quibus Deus locutus est, possunt aliquo sensu vocari filii Dei, nonne a *fortiori* vocari possum Filius Dei, et quidem in sensu proprio? Nam, addit, si non facia opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, cperibus credite, ut cognoscatis et credatis. quia Pater in me est et ego in Patre" (37-38); quae quidem verba important Christum vere Filium Dei esse, cum faciat ipsa opera Patris, et in Patre habitet. Objiciunt quidem Unitarii vocem "unum" interpretari posse de unitate morali, nam Christus ipse in ultima coena dixit: "sint unum sicut et nos unum sumus" (Jo. xvii, 22) Sed respondeatur in hoc ultimo loco vim nativam vocis "unum" attenuari per particulam *sicut*, eodem fere modo ac in sequenti phrasim scripturae: "estote igitur perfecti *sicut* et Pater vester coelestis perfectus est." Sed quando vox "unum" non corrigitur per aliud vocabulum, significat unitatem naturae: aliunde, ut diximus, contextus id postulat.

42. (**C.**) Nee minus convincens est argumentum ex primo capite ad Hebreos desumptum : "Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophētis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio etc...., hic enim S. Paulus loquitur de Verbo Incarnato et eius divinitatem probat asserendo: (**a**) ipsum esse "haeredem universorum" i.e. possidere ea omnia quae Deus ipse possidet; (**B**) eumdem habere vim creatricem "per quem fecit et saecula;" (**c**) eum esse perfectam et substantialem imaginem Patris "qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius; (**d**) eumdem esse conservatorum omnium "portansque omnia verbo virtutis suae;" (**e**) ipsum esse angelis superiorem, quia est Filius Dei, dum angeli sunt tantem ministri eius etc.; atqui haec omnia veram divinitatem important et perfectam cum Patre aequalitatem ; ergo.

II. Probatur ex Traditione.

43. 1 Ex *Patribus*. Patres vetustissimi aperte docent divinitatem Christi, ac proinde Verbi, cum Christus nihil aliud sit nisi Verbum Incarnatum. Ita S. Irenaeus (adv. Haer. xii). "Ecclesia per universum orbem disseminata, ab Apostolis et eorum discipulis accepit eam fidem quae est in Deum Patrem omnipotentem....et in unum Jesum Christum Filium Dei" Vide alios textus apud auctores antea citatos, et insuper Burton, Testimonies of the Ante-Nicene Fathers ; Liddon the divinity of our Lord, Lect. vii.

44. 2 Ex *factis*. (**A**) ex *confessionibus Martyrum*: ita v. g. in aetis S. Felicitatis legimus: "omnes, qui non confitentur Christum verum Deum esse, in ignem aeternum mittentur."

(**B**) Ex *confessione haereticorum*, qui fatentur divinitatem Christi edoctam fuisse ab Apostolis, sed solum contendunt Apostolos in hoc erravisse, "dicentes se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis sapientiores esse: (Iren. l. c. iii, 2)

(C.) Ex *testimoniis paganorum*, qui Christianis vitio vertebant eo quod Deum crucifixum adorarent, ut constat ex Celsi operibus, et inscriptione inventa in Caesarum palatio,* necnon ex epistola Plinii ad Trajanum, in qua declarat Christianos solitos esse statim die Christo, quasi Deo, carmen dicere. (lib. x, 97)

* "It is a rough sketch, traced, in all probability, by the hand of some pagan slave in one of the earliest years of the third century. A human figure with an ass's head is represented as fixed to a cross; while another figure is a tunic stand on one side... Underneath there runs a rude inscription: Alexamenos adores his God." Liddon, l. c. 404.

(D) Ex *praxi ecclesiae* quae statim e sinu suo ejecit haereticos negantes divinitatem Christi, ut Simonem, Gnosticos, Ebionitas, etc. (Vide Perrone de Trin. 204-245.)

45. 3. *Ex symbolis*, praesertim ex symb. Nicaeno, in quo dicitur "et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre, unigenitum.... Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantiale Patri etc."

46. III. Principia ad solvendas difficultates.

1. *Ex Script.* Multi textus scripturae ab Arianis et Unitariis proferuntur contra divinitatem Verbi: singulos explicare nimis longum esset: principia, quibus praecipui saltem explicari possunt breviter tradimus:

(A) Plerique textus, qui de Verbo agunt, referuntur ad Verbum Incarnatum, seu ad Christum, qui considerari potest sub triplici respectu, ut Deus, ut homo, ut caput ecclesiae; jamvero ut *Deus*, est quidem aequalis Patri, sed ut *homo* est ipsi inferior, et in hoc sensu dicere potest "Pater major me est" (Jo. xiv, 28;) item ut *caput ecclesiae*, seu quatenus nos repraesentat, declarat se ignorare diem judicii (Marc. xiii, 32).

(B) Insuper Verbum etiam ut Deus, procedit a Patre, et proinde ab ipso accipit naturam, voluntatem, omnia quae possident; in hoc sensu possunt explicari verba "a me ipso non loquor, a me ipso non facio quidquam" (Jo. xiv, 10), quamvis possint etiam interpretari de natura humana Christi.

(C) Aliquando in Scriptura, Pater vocatur solus Deus, non quidem ad exclusionem Filii et Spiritus S., sed solum ad exclusionem creaturarum, ut clare appareat unum esse Deum; sic intelligi debent verba Christi: "Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum" (Jo. xvii, 3); nam vox "solum" quae difficultatem facit, non ad subjectum *te* sed ad p:aedicatum Deum verum refertur, ut patet ex textu graeco, et proinde unicitatem Dei veri solum edocet.

47. 2. Quoad *Patres*. (A) Quidam inter Patres Ante-Nicaenos videntur aeternitatem generationis Verbi negare; ad hoc explicantum sciendum est triplicem generationem Verbi a Patribus distingui: primam, qua procedit a Patre, et haec quidem aeterna est; secundam, qua Verbum constitutum fuit creator mundi, seu initium viarum Domini; tertiam qua Verbum caro factum est: jamvero quando Patres dicunt generationem Verbi temporaneam esse, plerumque interpretari possunt de illa ultima dupli gener-

tione, non de prima: si quidam non possint ita benigne intelligi, fatendum est illo serrasse, sed ex hoc non sequitur totam erravisse Ecclesiam.

(B) Quidam pariter dicunt Filium Patris mandata obedivisse. Advertimus autem similes expressiones inveniri apud Patres, qui certe arianae haeresi non faverunt, ut Athanasium et Hilarius, ac proinde explicari posse et debere sensu orthodoxo, quatenus scilicet Filius a Patre accipit naturam, voluntatem et consequenter volitiones, quae mandata sensu lato vocari possunt, quin tamen sit inferior Patri. (Hurter, Compend, 231).

N. B.—Ea omnia quae infra adducemus in Tr. de Incarnatione ad probandam divinitatem Christi, luculenter confirmabunt thesim nostram de Consustancialitate Verbi.

ARTICULUS III.

DE DIVINITATE SPIRITUS SANCTI.

48. *Thesis:* Spiritus S. est vera persona a Patre Filioque distincta et verus Deus. De *fide* est contra Macedonianos, Unitarios et Rationalistas.

Probatur 1 *ex Scriptura.*

(A) Imprimis constat Spritum Sanctum esse *veram personam* a patre Filioque distinctam, non autem merum Dei attributum vel aliquod donum creatum;

(a) Ex textibus in thesi generali jam citatis, in quibus Spiritus S. exhibetur ut procedens a Patre, a Patre mittendus in nomine Filii, ut venturus tanquam alius Paracletus ad complendum opus Christi, et explicandum apostolis quidquid Christus docuerat (Jo. xiv, 16, 26; xvi 13-14.)

(b) ex textibus in quibus Spiritus S. distinguitur a charitate, aliisque donis spiritualibus: ita dicitur, "charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis" (Rom. v, 5); hic enim sedulo distinguitur Spiritus S. a charitate, et simul asseritur, charitatem effundi in corda nostra per Spiritum Sanctum; atqui charitas non potest effundi in animas nostras nisi per personam divinam: ergo.

49. (B) Spiritus S. est *vere Deus*, ac proinde Patri et Filio Consustancialis; nam (a) vocatur *Deus*; siquidem S. Petrus diserte asserit mentiri Spiritui Sancto idem esse ac mentiri Deo: "Anania, cur tentavit Satanás cor tuum *mentiri te Spiritui S.?*.... Non es

mentitus hominibus, sed Deo": (Act. v, 3); (**b**) ipsi tribuitur *omni-scientia* circa res divinas: "Spiritus omnia scrutatur (i.e.) perfecte comprehendit,) etiam profunda Dei." (1 Cor. ii, 10);

(c) Eadem assignatur opus *justificationis* et *Sanctificationis*, quod Deo proprium est: "abulti estis, justificati estis in nomine D. N. Jesu Christi, et in *Spiritu Dei nostri*" (1 Cor. vi, 11); (**d**) eidem debetur cultus *latriae*; siquidem, ex S. Paulo, corpora nostra temp̄um sunt Spiritus S. "An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus S. qui in vobis est?" atqui templum soli Deo ædificatur; ergo Spiritus S. est Deus: quae quidem conclusio ab ipso S. Paulo deducitur, quando post verba citata addit, "glorificate et portate Deum in corpore vestro" (1, Cor. vi, 19-20); (**e**) ipsi pariter tribuitur spiritualis *regeneratio*, quae in *baptismo* perficitur: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei." (Jo. iii, 15); atqui solus Deus potest esse causa principalis nostrae regenerationis; ergo.

2. Ex Traditione.

50. (**A**) Ex *Patribus*: quamvis enim non tam diserte loquantur de Spiritu ac de Filio, data opportunitate, suam fidem in divinitatem Spiritus profitentur; sic v. g. S. Justinus (Apol. 1, 6) ait, "Filiū et *Spiritum* propheticum una cum Patre colimus" Alios textus lege apud Bonal (N. 48).

(B) Ex *Symbolis*, in quibus Patri et Filio semper conjungitur Spiritus S., praesertim vero ex *Symbolo Constantinopolitano*, in qua expresse definita fuit divinitas illius: "Credimus in Spiritum Domini et vivificantem... cum Patre et Filio *adorandum* et *conglorificandum*."

(C) Ex *formula Baptismi*: in qua Spiritus S. semper adnumeratur Patri et Filio, et quidem ad ipsam validitatem baptismi, ut expresse docetur a *Patribus* (vide Hurter, 193); item ex *Doxologia*, "Gloria Patri, et Filio et Spiritui S." in qua eidem honores Spiritui tribuuntur ac Patri et Filio.

3. Solvuntur Difficultates.

51. (**A**) *obj.* "Spiritus non est a se, quum procedat a Patre, et a seipso non loquatur; atqui, quod non est a se non est Deus: ergo.
Resp. Distinguo majorem: non est a se quoad naturam, nego; quoad personalitatem, subdistinguo, non est a se, eo sensu quod procedit ab alio, concedo; non est a se, eo sensu quod ab alio pendet et est ipsi inferior, nego; nam licet Spiritus procedat a Patre, ab ipso

accipit integrum naturam divinam, ac proinde est ipsi perfecte aequa lis.

(B) Spiritus postulat, seu precatur (Rom. viii, 26): porro qui precatur est Deo inferior: ergo.

Resp. Spiritus postulat *Causaliter*, eo sensu quod per gratiam suam nos impellit ad precandum, Concedo, postulat *formaliter* eo sensu quod ipse aliquid postulat pro nobis, nego; nam talis est sensus textus allati "Spiritus postulat pro nobis" (Rom. viii, 26.) ut patet ex contextu, ubi dicitur: "Spiritus adjuvat infirmitatem nostram," nos scilicet impellendo ad precandum.

52. COROLLARIA CIRCA DIVINAS PERSONAS. Ex thesibus jam probatis tria praecipua corollaria deducere licet:

1 *Tres divinae personae sunt perfecte Coaequales. Defide est.*

(A) Sequitur ex dictis: nam singulae personae sunt Deus, seu possident totam naturam divinam, quae est infinitae perfectionis: atqui personae eamdem infinitam naturam possidentes sunt eo ipso perfecte aequales; ergo.

(B) Insuper hoc directe affirmatur de Patre et Filio in Scriptura "qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo," (Philip ii. 6) Idem asseritur de tribus personis in Symb. Athanasiano: "Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totae tres personae coeterne sunt sibi et coaequales."

(C) Hic tamen solvi debet difficultas ex proprietatibus personalibus quae unicuique personae competit. Haec difficultas ita exprimitur ab Unitariis. "That which differences one person in the Deity from another must be either a perfection or an imperfection. But it can not be an imperfection, for no imperfection exists in God: and it can not be a perfection, for then the other two persons would want a divine perfection." *Huic difficultati duplex est responsum; (A) Juxta multos thomistas, proprietates personales non habent perfectionem distinctam ab ipsa perfectione quae existit in essentia divina: v. g. paternitas nihil aliud est nisi Deus consideratus ut generans, et vis illa generandi jam eminenter continetur in essentia divina tribus personis communis: talis igitur proprietas non facit ut Pater sit perfectior realiter quam Filius et Spiritus S.

(B) Juxta alios, illae proprietates personales sunt quidem per-

* Clarke, Orthodoxy, 497.

fectiones distinctae, sed aequalis dignitatis, ita ut v. g. non sit major perfectio in paternitate quam in filiatione: nam generatio seu paternitas est traditio vitae, filatio est eiusdem vitae receptio; atqui in Deo tam perfectum est accipere quam dare: ergo illae proprietates non obstant perfectae personarum aequalitati.

53. 2. *Admittenda est divinarum personarum Circumincessio De fide.* Circumincessio est mutua divinarum personarum in invicem coexistentia et cohabitatio, ita ut Pater sit in Filio, Filius in Patre, et uteque in Spiritu S.

(A) Haec mutua cohabitatio defluit ex dictis; nam si eadem natura est in Patre, Filio et Spiritu S. necesse est ut Pater sit in Filio et vice versa: et idem dicendum de Spiritu S.-(B) Insuper illud directe asseritur in Scriptura pro Patre et Filio: "Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est?" (Jo xiv, 10); Et declaratur in C. Florentino pro tribus personis "Propter hanc unitatem Pater est totus in Filio, totus in Spiritu S.: Filius totus est in Patre, totus in Spiritu S.: Spiritus totus est in Patre, totus in Filio,"

54. 3. *In Deo una eademque est operatio ad extra, quae tribus personis communis est.* De fide. (A) Etenim operationes ad extra producuntur ab omnipotencia, ac proinde a natura, in qua omnipotencia residet; atqui ex dictis, est una natura in Deo; ergo est una operatio ad extra. Illa autem unica operatio ad extra pertinet ad tres divinas personas, sicut natura ipsa.

(B) Idem diserte asseritur in Symb. Athanasiano: "Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus S.: et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens." Hinc Patres ad hoc illustrandum, vocant Filium brachium seu manum Patris, et Spiritum, digitum Filii.

55 *Quaestio solvenda:* Ex supra expositis brevem delinea historiam dogmatis S. S Trinitatis, exponendo 1. Quomodo in V. Testamento ab initio insinuatum fuerit, postea adumbratum per theophanias seu divinas apparitiones, et tandem clarius manifestatum per ea quae de divina Sapientia et natura Messiae successive revelata sunt.

2. Quomodo in N. Testamento, diserte, licet gradatim reuelatum fuerit tum factis, tum verbis, tum denique Apostolorum praedicatione.

3. Quomodo par quatuor priora saecula successive modo philosophico expolitum fuerit, donec tandem consubstantialitas Verbi in C. Nicaeno, et divinitas Spiritus S. in C. Constantinopolitano definita fuerit.

CAPUT III. De Relationibus divinarum personarum ad invicem.

56. Probata existentia trium personarum in Deo, de relationibus quas ad invicem habent dicendum superest, videlicet de processionibus et missionibus.

Doctrina catholica de processionibus his verbis Symb. Athanasiani continetur “Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus sed genitus Spiritus S. a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.” Ex quo apparet *Patrem a nullo* procedere, *Filium a Patre* procedere per generationem, et *Spiritum ab utroque* per simplicem processionem.

ARTICULUS I. DE GENERATIONE VERBI.

57. I. *Notiones praeviae.* 1. *Circa processionem.* (**A**) Processio in genere est origo unius ab altero: sic v. g. lux a sole, filius a patre procedit. Duplex distinguitur: (**a**) *transiens* seu ad extra, quando effectus extra causam producitur, v. g. in humanis, filius est extra patrem; (**b**) *immanens* seu ad intra, quando effectus remanet intra causam seu principium, ut cogitatio quae manet intra mentem.

(**B**) In Deo pariter duplex processio distinguitur: (**a**) una ad extra, qua creaturae ab ipso procedunt sicut effectus a causa; (**b**) altera ad intra, qua una persona procedit ab altera tanquam principiatum a principio, et remanet intra divinam essentiam. Unde processio in Deo definiri potest: origo unius personæ divinæ ab alia vel a duabus aliis per ejusdem essentiae communicationem.

58. 2. *Circa Generationem.* Generatio stricto sensu, seu quando agitur de viventibus, definitur: origo viventis a principio vivente et coniuncto in similitudinem naturae. Explicatur:

(**a**) origo viventis a vivente: quibus verbis significatur tum generantem tum genitum vita praeditos esse debere: sic Adam e luto factus, sed non genitus dici potest, quia lutum vita caret.

(**b**) a principio coniuncto. id est generans debet conjungi genito per activam communicationem propriae substantiae aut saltem partis illius substantiae; hinc Eva, ex Adami costa efformata, ejus filia dici nequit, quia in illo opere Adamus passive se habuit; Angeli

pariter dici nequeunt filii Dei sensu proprio quia non acceperunt divinam substantiam a Deo. (**c**) *in similitudinem naturae*: duo his exprimuntur, genitum similem esse debere generanti per receptionem ejusdem naturae saltem specificae, et insuper generationem ex se tendere debere ad illam similitudinem producendam.

II. *Thesis. SECUNDA PERSONA S. TRINITATIS A PRIMA PROCEDIT PER VERAM GENERATIONEM.* De fide est contra Arianos et Unitarios, qui dicunt Verbum seu Christum vocari Filium Dei sensu lato, seu per adoptionem.

59. Probatur 1 *Scriptura*. Ille est Filius Dei verus et non adoptivus tantum qui vocatus filius *simpliciter* et per *excellentiam*, filius *proprius* et filius *genitus*; atqui haec tria de Verbo praedicantur: (**A**) Dicitur *filius Dei simpliciter*, et quidem modo excellentior quam nos; nam de illo legimus: "Pater diligit *Filium* et omnia dedit in manu ejus." (Jo. iii, 35), dum e contra de hominibus legimus: "Accepistis Spiritum *adoptionis* filiorum in quo clamamus Abba, Pater." (Rom. viii, 15); atqui ille est filius *simpliciter* qui generatione talis est; ergo.

(**B**) Dicitur *filius proprius, filius familias* per comparationem ad filios adoptivos, qui sunt tantum famuli: "qui etiam *proprio* Filio suo non *pepercit*." (Rom. viii, 32): et alibi. "Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus: Christus vero tanquam *Filius in domo sua*" (Heb. iii, 5); jamvero filius *proprius*, filius *familiae* est filius *naturalis*, non *adoptivus*.

(**C**). Dicitur tandem *filius genitus*, imo et *unigenitus*: "Filius meus est tu: ego hodie *genui te*." (Ps. ii, 7) *Unigenitus* qui est in *sinu Patris ipse enarravit*." (Jo. i 17.) "Sic enim Deus dilexit mundum ut *Filium suum unigenitum daret*." (Jo. iii, 16); atqui haec verba veram et propriam generationem indicant. Fatemur siquidem in uno vel altero loco homines dici etiam genitos esse a Deo, sed statim adduntur verba, quae metaphoram indicant, ut in Jacobo (i, 18): "voluntarie enim nos gennit *verbo veritatis* ubi tum vox voluntarie tum voces *verbo veritatis* manifeste indicant hic agi de adoptione tantum, dum e contra verba adhibita pro generatione Verbi, ex contextu novam vim accipiunt, ut ex dictis appareat. Ergo.

60. 2. *Traditione.* Ex *Patribus*, quorum plerique de divina generatione intelligunt verba *Scripturae* antea citata: "Filius meus es tu, ego hodie genui te." Unus audiatur S. Justinus dicens: "Cum verbum sit *primogenitum* Dei, Deus est." (Apol. ii, 6).

(B) Ex *Symbolis*, quae unanimiter profitentur Christum, ac proinde Verbum, esse Filium Dei, ex Patre natum.

(C) Ex *Conciliis*, praesertim Nicaeno, in quo divina Verbi generatio expresse definita fuit contra Arianos: "Credimus....in unum D. N. J. Christum, Filius Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est ex substantia Patris"; quibus verbis excluditur omnis filiationis adoptiva.

61. 3 *Rat. Theol.* Ratio non potest quidem demonstrare generationem Verbi, sed potest tamen praebere argumentum convenientiae, quod ex S. Thoma (Ip. xxvii, a, 2) desumimus: Deus, seipsum cognoscendo, producit verbum; nam in omni ente intelligibili adest aliqua mentis conceptio quae internum verbum vocatur: atqui illa processio Verbi habet omnes conditiones verae generationis: est enim, (a) origo viventis a vivente, nam Verbum procedit per modum intellectionis, quae est operatio vitalis et supponit tum principium vitale tum terminum vitalem; (b) a principio *conjuncto*, nam illa processio est immanens, ac proinde Verbum remanet in Deo et ei perfecte conjungitur per participationem naturae divinae quam Pater ipsi active tradit; (c) in *similitudinem* naturae, nam Verbum procedit per viam intellectionis: jam vero intellectio, ex natura sua, tendit ad producendum imaginem objecti cogitati, quae, in casu praesenti, est simillima Deo, juxta illud "Splendor gloriae et figura substantiae ejus." (Heb. i, 3,). Ergo processio Verbi est vera generatio.

III COROLLARIA.

62. 1. *Verbum a Patre genitum fuit a tota aeternitate, non autem in ipso instanti Incarnationis.* De fide est contra Harduinum et Beruyerium, quorum errores supra expositi sunt. (A) Dicitur enim in *Symbolo Nic.-Con.* "Credo....in unum D. J. Christum. Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula" (B) Idem constat ex *Scriptura*, ubi dicitur. "Dominus possebit me in initio viarum suarum, ante colles ego parturiebar....(Prov. viii, 22); quae quidem omnia a plerisque Patribus intelliguntur de aeterna Verbi generatione. (C) Insuper actus quo Deus efformavit humanam naturam Xti in sinu B. Mariae Virginis non est vera generatio, quia humanitas Christi non est ejusdem naturae ac Deus, ac proinde deficit ultima conditio ad generationem requisita, scilicet similitudo naturae.

63. 2. *Prima persona S. Trinitatis constituitur per relationem paternitatis, secunda per relationem filiationis;* nam, ex dictis per-

sonae in Deo constituuntur per relationes; atqui relatio specialis quae primae personae competit est paternitas, relatio autem specialis secundae personae est filiatio, ut constat ex thesi; ergo.

64. 3. *Non est alia distinctio inter Patrem et Filium ac distinctio originis*; etenim Filius procedit quidem a Patre, ut diximus, ac proinde ab ipso originem accipit, sed simul totam naturam divinam accipit a tota aeternitate, ac proinde sub respectu naturae, temporis, dignitatis, potentiae, est perfecte Patri aequalis juxta illud Christi, "Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt." (Jo. xvi, 15).

4. Ut difficultas praecaveatur sciendum est duplex intelligere in Deo distingui posse. (**a**) intelligere *absolutum* seu *essentialis*, quod nihil aliud est nisi essentia divina intelligens, et illud *commune* est tribus personis; (**b**) intelligere *relativum* seu *notionale*, quod consistit in illo speciali actu quo Deus, seipsum cognoscendo, generat Verbum, et illud soli Patri convenit.

ARTICULUS II.

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI.

65. *Status quaestionis.* Doctrina Catholica est Spiritum procedere tum a Patre tum a Filio. Jamvero olim Eunomiani (iv, s.), qui erant una ex sectis Arianis, negaverunt Spiritum. S. a Patre procedere; sed quum contrarium expressis verbis in Scriptura doceatur, "mittens vobis a Patre Spiritum veritatis qui a Patre procedit" (Jo. xv, 26) statim ille error extinctus est. Postea autem Photius (ix, S.) et Michael Caerularius (xi), ambo Episcopi C. P. negarunt Spiritum S. a Filio procedere, et ille error, licet damnatus in conc. Ecumenico Lugdunensi et Florentino, quibus Graeci assistebant, adhuc in Ecclesia graeca retinetur.

I. *Thesis.* SPIRITUS S. NON SOLUM A PATRE SED ETIAM A FILIO VERE PROCEDEIT. *De fide est.* Probatur.

66. (**A.**) *Scriptura.* Triplici arguento utemur: (a) In pluribus Scripturae locis, Spiritus vocatur *Spiritus Filii*, vel *Spiritus Christi Jesu*: Misit Deus Spiritum Filii sui." (Gal. iv, 6), "Non permisit eos Spiritus Jesu." (Act. xvi, 7); atqui illae expressiones Spiritum S. a Patre procedere important, nam patentibus ipsis Graecis, idem Spiritus vocatur Spiritus Patris quia procedit a Patre ergo a pari Spiritus dicitur Spiritus Filii quia procedit a Filio. (**b**) Iterum Spiritus dicitur missus a Filio sicut a Patre: "S. abiero, inquit Christus, mittam eum ad vos."...."Cum venerit Par-

acletus, quem ego mittam vobis a Patre." (Jo, xv, 26; xvi, 6); atqui missio in divinis importat processionem personae missae amittente; nam missio supponit quemdam influxum mittentis in missum: jamvero in Deo nullus, alias est influxus unius personae in aliam nisi ille qui venit ex origine seu processione; ergo. (c) Tandem apud S. Joannem (xvi, 14) leguntur haec verba Christi de Spiritu S. loquentis: "Ille me clarificabit, quia de meo accipiet....omniaquaecunque habet Pater mea sunt; propterea dixi: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis." Unde sic; hic clare asseritur Spiritum S. aliquid a Filio accipere, atqui in divinis persona ab altera aliquid accipere nequit nisi ab ipsa procedat; ergo. Confirmatur ex eo quod Filius testetur se omnia habere quae Patris sunt, excepta profecto paternitate; atqui Pater habet facultatem spirandi et de facto spirat Spiritum S.; ergo Filius eamdem virtutem habet.

67. (B) *Traditione.* (a) Ex *Patribus*, non solum latinis, qui, juxta omnes, expresse hoc dogma docent, sed etiam graecis; unus audiatur *Gregorius Nyssen.* "Unigenitus Filius ex Patre a S. Scriptura dicitur: Spiritus S. vero et ex Patre dicitur et ex Filio esse simul." (Vide *Bonal*, 72) (b) Ex *Concilii praesertim Florentino* definiens quod, "Spiritus S. ex Patre et Filio aeternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit."

(C) *Rat. Theol.* Ex dictis in thesi generali, Spiritus S. procedit per modum volitionis seu amoris; atqui amor, etiam in homine, procedit non solum a voluntate sed etiam a cognitione objecti amati, juxta illud, "nil volitum quin praecognitum." Ergo in Deo Spiritus S. debet procedere non solum a Patre, sed etiam a divina intellectione, seu a Verbo.

II. *Consectaria Thesis.*

69. (A) *Spiritus S. procedit a Patre et Filio tanquam ex uno principio et unica spiratione, licet sint duo spirantes.* De fide est, ex definitione Con. Florentini jam citata. Insuper in Deo omnia communia sunt, ubi non obstat relationis oppositio; atqui in producendo Spiritum S. Pater et Filius non sibi mutuo opponuntur; ergo producunt Spiritum S., per modum unius et unico actu; ille autem actus vocatur spiratio, quia fit per modum volitionis seu amoris.

70. (B) *Tertia persona S. S. Trinitatis constituitur per relationem spiracionis passivae;* nam personae divinae constituuntur per relationes; atqui relatio propria Spiritui S. est spiratio passiva: ergo.

71. (C) *Processio S. differt a generatione Verbi sub triplici respectu*
(a) *Verbum procedit ab intellectu per modum cogitationis, Spiritus*

a voluntate per modum amoris (**b**) Filius procedit a *Patre solo* Spiritus a *Patre et Filio*; (**c**) Processio Fili est vera generatio quia intellectio ex se tendit ad producendum aliquid simile sibi, dum processio Spiritus non est generatio, quia amor non tendit ex se ad producendum simile sibi.

III COROLLARIA GENERALIA.

72. 1. *De Notionibus.* Ut jam diximus, duae sunt processiones in Deo, quator relationes et tres personae, sed insuper quinque sunt notiones, et duo actus notionales.

Notiones sunt notae, seu characteres proprii quibus personae ab invicem distinguuntur; jamvero quinque sunt characteres hujus modi, videlicet.

(A)	Duo pro Patre	$\left\{ \begin{array}{l} (\mathbf{a}) \text{ Innascibilitas, quia Patre a nullo} \\ \text{procedit} \end{array} \right.$ $\left\{ \begin{array}{l} (\mathbf{b}) \text{ Generatio seu paternitas,} \\ \text{quia generat Filium et etiam spiratio ac-} \\ \text{tiva quae tamen non realiter distinguitur} \\ \text{a generatione, quum ipsi non opponatur.} \end{array} \right.$
		$\left\{ \begin{array}{l} (\mathbf{a}) \text{ Filiatio, quia a Patre procedit per} \\ \text{veram generationem.} \end{array} \right.$ $\left\{ \begin{array}{l} (\mathbf{b}) \text{ spiratio activa, quae ipsi commu-} \\ \text{nus est cum Patre quia una cum illo spirat} \\ \text{Spiritum Sanctum.} \end{array} \right.$
(B)	Duo pro Filio	$\left\{ \begin{array}{l} (\mathbf{a}) \text{ Filiatio, quia a Patre procedit per} \\ \text{veram generationem.} \end{array} \right.$ $\left\{ \begin{array}{l} (\mathbf{b}) \text{ spiratio activa, quae ipsi commu-} \\ \text{nus est cum Patre quia una cum illo spirat} \\ \text{Spiritum Sanctum.} \end{array} \right.$
		$\left\{ \begin{array}{l} (\mathbf{c}) \text{ Unus pro Spiritu} \\ \text{Scilicet spiratio passiva seu simplex pro-} \\ \text{cessio quia Spiritus spiratur a Patre et} \\ \text{Filio.} \end{array} \right.$

73. 2. *De actibus Notionalibus.* Duo sunt actus notionales in Deo. Etenim actus notionales, seu personales, illi sunt per quos divinae personae producuntur et distinguuntur; atqui duo sunt actus hujus modi scilicet generatio qua producitur Filius, et spiratio qua Spiritus S. producitur; Ergo.

74. 3. *De divinis Nominibus.* Nomina divinarum personarum duplicitis sunt generis; alia sunt *propria* seu notionalia, quae ita convenienter uni personae ut de alia praedicari nequeant; alia autem sunt *appropriata*, quae ex se tribus personis sunt communia, sed uni tamen personae prae aliis tribuuntur propter specialem relationem cum nominibus propriis Pro qualibet igitur persona breviter describemus tum nomina propria, tum nomina appropriata.

75. 1. *Nomina primae personae.* (A) *Propria* (**a**) *Primum principium* seu fons totius Trinitatis, quia ab illo procedunt Filius et Spiritus S.; dicitur autem *principium non causa vel auctor* Fili, et

quia illae voces in lingua latina important in causato diversitatem et dependentiam naturae. (**b**) *Ingenitus, Innascibilis* quia a nullo procedit. (**c**) *Pater* quia generat Filium.

(**B**) *Appropriata* (**a**) *Omnipotentia*, quia potentia est veluti principium summum Dei perfectionum et ideo convenit specialiter Patri, qui est principium totius Trinitatis. (**b**) *Creatio*, quia est praesertim opus potentiae (**c**) *Aeternitas*, quae initio caret et convenit Patri qui est sine principio.

76. 2. *Nomina Secundae Personae.*

(**A**) *Propria* (**a**) *Filius* quia procedit a Patre per veram generationem. (**b**) *Verbum*, quia procedit per viam intellectionis atqui actus intellectus vocatur verbum internum seu conceptio mentis. (**c**) *Imago*, quia vi ipsius originis, Filius est perfecte Patri similis, vocatur etiam splendor gloriae et figura substantiae (Hebr i, 3) quia est imago splendidissima et substantialis Patris.

(**B**) *Appropriata*. (**a**) *Sapientia*, quia sapientia pertinet ad intellectum; atqui Verbum procedit per intellectum. (**b**) *omnia opera sapientiae* v. g. ordo in mundo existens.

77. 3. *Nomina Tertiae Personae.*

(**A**) *Propria* (**a**) *Spiritus* quia procedit per viam spirationis seu amoris (**b**) *Amor*, quia est terminus amoris mutui Patris et Filii, et amor subsistens. Vocatur etiam nexus, unio, amplexus, quia est veluti nexus quo Pater et Filius invicem se complectuntur. (**c**) *Donum*, quia procedit per viam amoris atqui amor nihil aliud est nisi donum sui ipsius.

(**B**) *Appropriata*. (**a**) *Charitas* seu bonitas, quia charitas optime convenit spiritui qui procedit per viam amoris. (**b**) *Omnia opera charitatis*. (**c**) Praesertim vero opus *sanctificationis* quia sanctificatio nostra est opus amoris. Hinc etiam vocatur *Paracletus* i. e. Consolator et advocatus, quia consolatur per gratiam et postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

ARTICULUS III.

DE DIVINIS MISSIONIBUS.

Quum duæ sint missionum species in Deo, scilicet missio invisibilis, et missio visibilis, dicemus: i. de missionibus in genere, ii de missione invisibili, iii de missione visibili.

I. De *Missionibus in genere.*

78. 1. *Notio* (**A**) *Missio in genere* (a voce mittere) est motio vel

egressio alicujus entis ab alio cum destinatione ad aliquem terminum. Triplex distinguitur :

(a) *physica* quae fit per physicam impulsionem, v. g. lapis missus a brachio ;

(b) *moralis*, quae fit per impulsionem moralem sive per imperium, sive per consilium ; sic v. g. servus mittitur a domino per imperium; rex mittitur a consiliariis per consilium ;

(c) *substantialis*, quae fit per quamdam emanationem ex ipsa substantia mittentis, sic flos emittitur ab arlore, radius a sole. Missiones divinae sunt missiones substantiales, sine defectibus tamen quae in creaturis inveniuntur.

79 (B) Missio in *divinis* est processio unius personae ab alia, cum destinatione ad aliquem temporalem effectum, seu cum novo existendi modo. Dicitur : (a) *processio unius personae ab alia*, vel a duabus aliis, nam missio importat influxum realem personae mittentis in personam missam ; atqui, in Deo, nullus est influxus unius personae in alteram nisi per processionem ; ergo missio supponit processionem.

(b) cum *destinatione* etc. ; missio enim supponit destinationem ad aliquem terminum, seu ad aliquid novum faciendum, et quum in Deo nihil novi sit faciendum, destinatio illa est ad aliquem temporalem effectum.

(c) cum *novo existendi modo* ; nam temporalis ille effectus non potest consistere in mutatione loci, quum divinae personae jam sint ubique, neque in productione alicujus substantiae, nam talis productio communis est tribus personis et opus naturae divinae; consistit igitur in eo quod persona missa *novo modo existat* in creaturis ; sic v. g. missio Filii per Incarnationem consistit in eo quod Verbum Divinum, quod jam antea erat super terram, novo modo incepit esse in aliqua parte terrae, sese uniendo hypostatice humanae naturae.

80 2 *Thesis* : INTER DIVINAS PERSONAS, PATER MITTI NEQUIT, FILIUS AUTEM ET SPIRITUS MITTI POSSUNT ; ECONTRA PATER ET FILIUS MITTERE POSSUNT, SED S. SPIRITUS MITTERE NEQUIT, *Certum est*,

(A) *Pater mitti nequit* (a) Non enim legitur in Scriptura quod mittatur, sed solum quod veniat ad nos: "ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus" (Jo. xiv. 23).

(b) Insuper, ille solus mitti potest qui ab alis procedit, ut constat ex ipsa notione missionis : atqui Pater a nullo procedit Ergo.

(B) *Filius et Spiritus S. mitti possunt*; (a) de Filio dicitur "Misi

Deus Filium suum factum ex muliere" (Gal. iv. 4.) ; de Spiritu S. "Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo." (Jo. xiv. 26.)

(b) Illae personae mitti possunt quae ab alia procedunt. et ab ea accipiunt tum potestatem, tum impulsu eundi; Atqui Filius et Spiritus S. procedunt ab alia persona, et ab ea accipiunt, simul cum natura, omnipotentiam et impulsu seu destinationem ad effectum temporalem Ergo.

(C) *Pater et Filius mittere possunt.* Etemin (a) de Patre dicitur : "Misit Deus Filium suum," de Filio "si autem abiero mittam eum (Spiritum S.) ad vos." (Jo. xvi 7.) (b) Insuper illae personae mittere possunt, ex quibus procedit, alia persona ; atqui ex Patre Filius procedit, et ex Patre Filioque Spiritus S. procedit, ergo.

(D) *Spiritus S. mittere nequit.* (a) Nullibi enim legitur Spiritum S. aliam personam divinam misisse. Dicitur quidem apud Isaiam (xlviii, 16.) in loco, qui juxta quosdam refertur ad Christum: "Deus misit me et Spiritus ejus," sed hic agitur de Christo ut homine, quem Spiritus mittit ad praedicandum, non autem de missione divinae personae ut talis. (b) Insuper ille solus mittere potest divinam personam, ex quo procedit alia divina persona ; atqui nulla persona procedit a Spiritu S. ergo.

II. *De Missione Invisibili.*

81. Missio *invisibilis* ea est quae fit interno modo, sine ulla exteriori manifestatione, ut est v. g. missio Spiritus S. ad nos, quando effundit in animas nostras gratiam sanctificantem ; missio *visibilis* ea est quae fit cum aliqua externa manifestatione, v. g. Incarnatio Verbi, descensus Spiritus S. super apostolos.

82. 1. *Existentia* : DATUR MISSIO INVISIBILIS SPIRITUS S. AD NOS, QUOTIESCUNQUE GRATIA SANCTIFICANS INFUNDITUR IN ANIMAM. Ita communiter.

(A) Ex *Scriptura* enim appareat gratiam Sanctificantem, seu caritatem essentialiter connecti cum habitatione Spiritus S. in nobis : dicitur enim de peccatore "in malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis," (Sap. i, 4.) ; econtra dicitur de justo : "Si quis diligit me, veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus." (Jo xiv 23); et iterum : "Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?" (1 Cor. iii, 16.) "Caritas Dei diffusa est in cordibua vestris per Spiritum S. qui datus est nobis" (Rom. v. 5); ex hoc igitur concludere licet Spiritum S. ad nos mitti, quotiescunque gratiam habitualem seu caritatem accipimus.

(B) *Ratione theologica* confirmatur: Ad missionem requiritur ut persona divina, ab alia procedens, novo modo existat in creaturis; atqui, per gratiam sanctificantem, Spiritus S. novo modo habitat in nobis, scilicet ut amicus et specialis protector; gratia autem mere actualis non sufficit ad missionem, quia per ipsam Spiritus S. stat quidem ad ostium animae et pulsat, non vero intrat animam ut amicus. (Apoc. iii, 20);

83. 2. *Modus.* (A) Illa missio invisibilis tribuitur specialiter Spiritui S., quia est opus sanctificationis, sed juxta probabiliorem sententiam, haec missio non est propria Spiritui S.; cum Ipso enim veniunt duae aliae personae, ut deducitur ex textu supra allato: "ad eum veniemus;" aliunde, illud sequitur ex circumcessione, vi cuius tres divinae personae in se invicem habitant.

(B) Modus specialis quo Spiritus in nobis habitat per gratiam in eo consistit quod veniat: (a) ut *amicus* apud amicum: "si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, introibo ad illum et coenabo cum illo, et ipse tecum." (Apoc. iii, 20). (b) ut *protector* specialis, nam de ratione amici est ut super amicum speciali modo vigilet, eumque ab hostibus protegat, "omnem solitudinem vestram, projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis" (1 Petr. v, 7). (c) ut *Deus* in templo; nam licet Spiritus veniat ut amicus, non amittit suam dignitatem, et jus habet ut specialiter in amnia nostra adoretur. "Membra vestra templum sunt spiritus Sancti, glorificate et portate Deum in corpore vestro." (1 Cor. vi, 19-20.)

III. *De Missione Visibili.*

84. 1. *Notio:* Ad missionem visibilem tria requiruntur (a) signum aliquod *visibile*: secus esset missio invisibilis: (b) signum *novum* i. e. aut non existens antea, aut saltem non existens eodem modo, nam missio visibilis exigit signum aliquo modo extraordinarium. (c) respectus ad sanctificationem, quia ex supra dictis, missio divina non fit nisi ad sanctificationem animarum.

85. 2. *Species:* Duae sunt species missionem visibilium:

(A) Una est, *visibilis Substantialiter*, qualis est missio Verbi Divini in mysterio Incarnationis, quia in illa missione Filius Dei non solum representatus est modo visibili, sed substantialiter unitus fuit humanae naturae, ut explicabitur in Tr. de Incarnatione.

(B) Altera est *visibilis repraesentativa*, qualis fuit missio spiritus S. sese manifestantis sub formis sensibilibus, quibus tamen non erat substantialiter unitus. Quatuor numerantur praecipuae missiones

Spiritus S. (*a*)paritio in Baptismo Christi sub specie columbae ; (Matt. iii, 16) (*b*)apparitio in Transfiguratione sub specie lucidae nubis (Matt. xvii, 5.) Hae duae fuerunt mere representativae, quia non contulerunt gratiam, sed solum gratiam antea Christo datam repreasentabant. (*c*) Collatio Spiritus S. sub specie flatus, quando Xitus dixit "Accipite Spiritum Sanctum" (Jo. xx 22) (*d*) descensus Spiritus S. in die Pentecostes sub specie lingnarum ignearum. (Act II, 3) Hae duo fuerunt simul representativae, et effectivae, quia gratiam internam contulerunt.

86 *Caroliaria*: (*A*) In collatione Sacramentorum non est missio visibilis Spiritus S. quia signum sensibile adhibitum non est novum nec extraordinarum.

(*B*) Sub antiqua lege non adfuerunt missiones visibles Spiritus S. quia conveniebat, ut Filius prius manifestaretur quam Spiritus. Fuerunt quidem apparitiones divinae, sed non directe ad sanctificationem significandam aut producendam sed ad aliquid aliud manifestandum.

APPENDIX.

Regulae ad recte loquendum de Stma. Trinitate.

87. 1. Nomina *substantiva*, directe exprimentia divinam essentiam, vel attributa absoluta, adhiberi debent numero singulari non autem plurali. Nam divina essentia est una, pariter attributa absoluta non multiplicantur in Deo; v.g. Dici debet unus est Deus, unus creator, unica omnipotentia; et dici nequit tres sunt deitates etc. 2. Nomina quae *directe* designant *personas* et *indirecte* tantum naturam, in numero plurali enuntiari possunt. Ratio est quia illa nomina referuntur ad personas. Aqui plures sunt personae. Ergo dici debet v. g. Tres sunt personae aeternae, omnipotentes. Inveniuntur qui dem in symbolo Athanasiano illae expressiones "non tres aeterni, sed unus aeternus, sed tunc aeternus sumitur tamquam nomen substantivum.

89. 3. Vocabula *Relativa*, quae exprimunt operationes proprias personarum et earum relationes, non debent praedicari de essentia, sed solum de personis, vel de Deo v. g. dici nequit essentia generat, procedit etc., sed dici debet Deus generatur aut Filius generatur.

90. 4. Nomina distinctionem exprimentia, ita caute adhiberi debent ut distinctionem naturae et inaequalitatem personarum non

importent; v. g. Adhibendae sunt voces Trinus, Trinitas non autem Triplicitas, triplex, quia illa ultima verba plures naturas supponunt. (**b**) Dicitur alius Pater, alius Filius, non autem aliud, quia genus neutrum naturam designat. Atqui Filius non habet aliam naturam ac Pater. Ergo (**c**) E contra dici nequit Pater est unum Filio, quia genus masculinum communiter refertur ad personam; jamvero Pater non est una persona cum Filio. (**d**) Vitandae sunt expressiones: "Deus est singularis, solus, solitarius," quia talia verba excludunt pluralitatem personarum. (**e**) Dici nequit tres sunt personae diversae, quia diversitas supponit multiplicationem naturae. (**f**) Dici nequit etiam personas esse similis substantiae, quia similitudo hoc in casu multiplicitatem substantiae importat; sed dici debet tres personas esse unius substantiae.

Et haec sufficient de SS. Trinitate, quam clare et aperte intuebimus, si tamen fidem in ipsam servavreimus, debitumque honorem et gloriam Patri et Filio, et Spiritui Sancto in praesenti vita redidierimus.





